







17

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28





1720. <sup>192. 17</sup>  
 19. Ludovici, Jacob. Ficker: De dominio ex contractu, solus  
 non translato. 3 Sumpl. 1720, 1736 & 1748.
20. <sup>118</sup> Ludovici, Jacob. Ficker: De notariis testes examinante  
 2 Sumpl. 1720 & 1744.
21. <sup>117</sup> Ludovici, Jacob. Ficker: De grammatica mala. 2 Sumpl.  
 1720 & 1745.
22. Ludovici, Jacob. Ficker: De facto tutorum a pupillis  
 non presentibus.
23. <sup>116</sup> Ludovici, Jacob. Ficker: De hypotheca fecita fidei  
 propter debita ex relicto. 2 Sumpl. 1720 & 1747.
24. <sup>115</sup> Reinhardus, Conradus Fickler: De additione here-  
 ditatis per aliam. 2 Sumpl.
25. Schellius, Dr. Gerardus: De negotiis in persona propria  
 explicandis.
26. Schellius, Dr. Gerardus: De negotiis in persona propria  
 explicandis.
27. Schuderus, Dr. Fickler: De crimine fidei.
28. Schuderus, Dr. Fickler: De dominio rei legatae  
 ipso jure transcurte.

29. Schulerus, Chr. G. Georgius: De officio hominis erga  
semetipsum

30<sup>a</sup> <sup>b</sup> Thomasius, Amobianus: De fatuitate breuicordii  
vulgaris, causa fatua excusat & dolo. 2. Saecul.





*[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or manuscript.]*





3.  
Q. D. B. V.  
EXERCITATIO ACADEMICA  
DE

1720

29

**OFFICIIS  
HOMINIS ERGA  
SEMETIPSVM**

13

P 452

QVAM  
INCLITI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
CONSENSV

PRO LOCO ADIVNCTI OBTINENDO

ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

PRAESES

**M. CHRISTIANVS GEORGIVS  
SCHÜSLERVS,**

HALBERSTADIENSIS

D. XVIII. SEPTEMBRIS 1720

RESPONDENTE

**CRISTIANO ERNESTO SIMONETTY**

BEROLINENSI MARCHICO

PHILOSOPHIAE AC LL. CVLTORE.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

TYPIS IOANNIS GRVNERI, ACAD. TYPOGR.



1-21











## PR AEFAMEN.



**O**fficiorum hominis erga semet-  
ipsum exquisitam scientiam cuiuslibet mor-  
taliū multum conducere, hoc &  
huius & superiorum seculorum Philo-  
sophi celeberrimi nunquam non iudi-  
carunt. Quid inquam illa inscriptio,  
*γνώρι σεαυτός*, quæ inscripta templo Del-  
phico, uti nos docit Xenophon in tracta-  
tu de memorabilibus libro 4. cap. ii. §. 24. seq. Edit Oxon p. 463.  
464. quam præceptum quoddam ad quoscunque, ut semetipso  
cognoscere studeant? uti affirmat Cicero quæstionibus Tuscula-  
nis Lib. I. Cap. XXII. Quod itidem nos docet Poeta Perseus  
Satyr. 3. v. 66. hisce verbis

Discite, vos miseri, & causas cognoscite rerum,  
Quid sumus, & quidnam victuri gignimur, ordo  
Quis datus, aut metæ quam mollis flexus, & unde;  
Quis modus argento; quid fas optare; quid asper  
Utile nummus habet: Patriæ carisque propinquis

A 2

Quan-



Quantum largiri deceat; quem te Deus esse  
Iussit, & humana qua parte locatus es in re,  
Disce.

Et Cicero Philosophus antiquus clarissimus pluribus in li-  
bris de officiis declarat: non magis dari dedecus, quam si quis  
naturam suam ignoret atque quod illi debeat. Cui sententia &  
omnes huius seculi adsentiuntur Philosophi celeberrimi, quod  
vero pluribus probate supervacaneum esse iure iudicamus, cum  
quam plurima scripta satis clare hoc demonstrant. Hoc si per-  
pendet benevolus Lector non poterit non nostris applaudere co-  
natibus, quippe qui animum induximus quaedam tradere de offi-  
ciis illis quae nobismetipsis debemus; siquidem eiusmodi exhi-  
bebimus scientiam, de cuius utilitate & iucunditate omnium se-  
culorum philosophi nunquam dubitarunt. Non animus quidem  
nobis est, omnia exponere illa officia quae nobis debemus, sed  
praecipua tantummodo exhibebimus, ex quibus quislibet per se, si  
placet, reliqua omnia facile deducere poterit; quare sufficere  
poterunt, illa quae trademus, illi, exquisitam officiorum illorum quae  
homo sibi metipso debet, scientiam qui exoptat. Priusquam ve-  
ro rem aggrediamur ipsam, omnis scientiae Auctorem atque dato-  
rem Deum Ter Optimum Maximum supplices rogamus atque  
obsecramus, nostris huius conatibus gratiam suam ut adspiret,  
quo finem quem sibi proposuerunt, ex voto assequantur.

## SECTIO I. Quae in genere officia eorumque naturam exhibebit.

**A**nimus nobis est, benevole Lector, tradere illa officia quae  
nobismetipsis debemus, quae vero distincte si cognoscere  
exopta-



exoptamus respicere prius debemus quid sit officium, atque de eo nobis distinctam concipere ideam. Officium autem si perpendimus, actionem illam quæ legi cuidam consentanea; seu quæ secundum certam quandam legem peragitur officium appellari intelligimus. Est itaque illa actio quæ ex lege quadam peragitur, officium. Quum vero diuersæ dantur leges, datur nimirum lex diuina, lex naturæ atque ciuilis, patet, quod & diuersa dentur officiorum genera, quæ uero nos in præsentî non respicimus, siquidem nos hæc in dissertatione de officiis si agimus, illas tantummodo intelligimus actiones, quæ ex lege naturæ peragendæ, minime uero illas quæ ex lege diuina reuelatæ aut ciuili peragi debent.

## §. II.

Cognitum atque perspectum habemus omni tempore mæximam inter eruditos litem fuisse, quænam illa lex sit naturæ, ex qua actiones peragi debeant, quod uero recensere supersedemus, dicimus tantummodo legem uniuersalem naturæ esse hanc: dirige actiones tuas ad tuam aliorumque perfectionem, illas uero omittite, quas tibi aliisque nocere agnoscis. Hanc legem, legem naturæ uniuersalem esse, asserere non erubescimus, quod facile, ipsam nostram naturam si considerabimus, demonstrare poterimus. Ex naturæ enim nostræ distincta consideratione omnis legis naturæ deprimenda est scientia. Quod olim iam agnouit Cicero qui inquit: Lib. II. est illa lex naturæ, quæ ad antiquissimam & omnium rerum principem naturam expressa & libro I. Cap. 5. dicitur natura iuris nobis explicata est, eaque ab hominis repetenda natura, & Marcus Antonius. Lib. X. §. 2. pluribus hoc declarat hisce uerbis: Παρατήρει τί σε ἡ φύσις ἐπιζητεῖ, ὡς ὑπὸ φύσεως μόνον διοικημένον εἶτα ποιεῖ αὐτό καὶ προσίεσο, εἰ μὴ χειρὸν μέλλει διατίθεσθαι σε ἢ ὡς ζῶν φύσις. ἐξῆς δὲ παρατηρήσει, τί ἐπιζητεῖ σε ἢ, ὡς ζῶν φύσις, καὶ πᾶν τὸ πᾶραληπτέον, εἰ μὴ χειρὸν μέλλει διατίθεσθαι, ἢ ὡς ζῶν λογικῆς φύσις, εἰ δὲ τὸ λογικὸν εὐθὺς, καὶ πολιτικόν, τῆτοις δὲ κανόσι χρῶμεθα, μηδὲν περιεργάζεσθαι. Hanc autem nostram naturam si

A §

perpetua



perpendimus, statim intelligimus, nos illud auerfari, quod vti malum agnouimus & illud appetere, quod vti bonum nobis concepimus. Hoc vnicum tantummodo si meditamur, agnoscimus legem esse naturæ, dirige actiones tuas ad tuam perfectionem & illas omitte quas tibi nocere agnoscis. Pluribus facile veritatem huius assertionis probare possemus & a priori & a posteriori, sed his superfedemus, cum certo sumus persuasi quemlibet per se hanc agnoscere valere. Nullus sanioris mentis capax enim in dubium vocare poterit, natura insitum esse omnibus, id vt appetant quod vti bonum agnoscunt, illud vero auerfentur, quod vti malum sibi representant. Vnde quislibet facile colligere poterit, per naturam suam illud committendum quod naturæ suæ consentaneum seu quod suam naturam perficit, illud vero omittendum quod perfectioni suæ auerfatur, & legem naturæ itaque esse: illud perage quod tibi proficuum agnoscis, illud vero omitte quod te deteriorare intelligis. Huius nostræ legis veritas & exinde patet si consideramus, nos nulla ratione aliis inservire posse nisi prius nos perfecimus. Qua ratione enim promouere aliorum commoda poterit, qui nec sua intelligit nudusque & expers est eorum omnium quæ ad bene beateque viuendum scitu sunt necessaria? quale consilium deliberanti dabit, qui ipse consilii est inops, num viam ad sapientiam pandet, qui ob insipientiam inscitiamque omnium prouocat commiserationem? perinde profecto hoc esset ac si quis a paupere diuitias aut sanitatem ab ægroto postularet. Quid impertiet aliis qui omnium rerum sapientiæ atque doctrinæ inops ab aliis semper quouctunque vitam toleret efflagitare necesse habet? tantum abest vt habeat quod aliis impertire possit. Vnde omnino quislibet obligatur suam promouere perfectionem, atque ad illam obtinendam omnes dirigere actiones, nisi vti inuitæ terræ pondus vitam alere exoptat. Quod optime etiam demonstrat Celeberrimus Puffendorffius in Iure suo Naturæ & Gentium Lib. II, capite IV. hisce verbis: Ex omnium sapientum consensu Creator O. M. hominem condidit, vt ipsi inserviat ex-

cultis.



cultisque bonis ab ipso sibi concessis, eiusdem gloriam reddat illustriorem; cumque socialitas ad quam homo conditus est, exerceri commode & seruari nequeat, ni quilibet se ipsum quantum in se colat & seruet; adparet abiecta plane sui cura hominem non sibi quidem, sed Deo creatori sed generi humano facere iniuriam. Atque de Montagne idem præclare hoc declarauit dans l'Essais. Liv. III. Chap. III. p. 748. La principale charge, inquit, que nous ayions, c'est à chacun sa conduite. Et est ce pourquoy nous sommes ici. Comme qui oublieroit de bien & saintement vivre, & penseroit estre quitte de son devoir en y acheminant & dressant les autres, ce seroit un sot; tout de même qui abandonne en son propre le sainement & gayement vivre, pour en seruir autrui, prend a mon gré un mauvais & desnaturé party. Quod vero lex naturæ & nos obliget actiones nostras dirigere ad aliorum promouendam perfectionem, hoc ex iam demonstratis facile quislibet colligere poterit. Demonstrauimus legem naturæ quemlibet obligare ad suam perfectionem promouendam, quum vero absque aliorum perfectione perfectio propria locum habere nequit, adparet legem naturæ quemlibet & ad aliorum perfectionem actionibus suis promouendam obligare. Audiamus Senecam qui præclare inquit Lib. II. de Ira cap. XXXI. Nefas est nocere patriæ; ergo ciui quoque. Nam hic pars patriæ est, sanctæ partes sunt, si vniuersum venerabile est; ergo & homini, nam hic in maiore vrbe tibi ciuis est. Quid si nocere velint manus pedibus? manibus oculi? Vt omnia inter se membra consentiant, quia singula seruari, totius interest; ita homines singulis parcent quia ad coetum geniti sumus, salua autem esse societas nisi amore & custodia partium non potest, & in Epistola XLVIII. inquit; Non potest quisquam beate degere, qui se tantum inuuetur, qui omnia ad vtilitates suas conuertit. Alteri viuas oportet, si vis tibi viuere, &c. confer. & eiusdem epistolam XCV. p. 464. seq. Edit. Lugd. Bat. 1672. & Epistolam CIII. in quibus pluribus hanc veritatem optime illustrauit: Vti & præclare scriptum



ptum est a Platone in epistola ad Archytam Tarentinum: Non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem patria vindicat; partem parentes, partem amici, & a Chryssippo Stoico philosopho: quæ in terris gignuntur ad usum hominum creantur, homines autem hominum causa sunt generati, ut ipsi inter se alius alij prodesse possit, in hoc naturam debemus ducem sequi, & communes utilitates in medium asferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo; tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem: Quod vero perficiat nos & hoc facile quislibet agnoscere poterit, nimirum hoc nos perficit quod nostrum statum meliorem reddit, illud vero nos deteriorat, quod statum nostrum deteriolem efficit, uti & illud alios perficit quidquid statum illorum feliciorem efficit, quod vero illum deteriolem reddit, illud quoque eos deteriorat.

## §. III.

Per statum autem intelligimus indolem & corporis & animæ, hanc inquam intelligimus, si dicimus: dirige actiones tuas ad perfectionem status tui & aliorum, siquidem per hoc nihil aliud indicare intendimus, quam perage illud quod animam corpusque tuum & aliorum perficere agnoscis, illas vero actiones omitte, quas & animam & corpus tuum ut & aliorum deteriorare intelligis: Hæc si perpendimus facile exinde colligere poterimus officia quæ nobis debemus, respicere & corpus & animam, atqui per consequens officia quæ nobis ex lege naturæ debemus spectare & ad corpus & ad animam, atqui nos per legem naturæ esse obligatos salutem promovere & animæ & corporis. Quam vero nemo perfectionem animæ & corporis promovere valet, nisi animæ & corporis naturam qui habet cognitam atque perspectam patet per legem naturæ quemcunque esse obligatum, cognoscere & animæ & corporis naturam. Qua ratione vero quis agnoscere valeat animæ suæ naturam, hoc quislibet facile percipere poterit, hac nempe ratione, quemcunque valere animam suam cognoscere, accurate si observare allaborabit in anima quid obueniat quæque sint animæ facultates



facultates præcipuæ, siquidem hæc rectissima est via qua peruenire licet ad animæ suæ cognitionem. Quare interroganti methodum addiscendi animæ naturam iure respondetur: tecum habita & noris, hæc enim exquisita inquisitio si non accesserit nunquam quis animæ suæ scientiam acquirat. Conducunt quidem multum scripta egregia de animæ natura, atque illorum auxilio facile quis ad exquisitam animæ noticiam adspirabit, si his strenuam inquisitionem obseruationemque animæ suæ coniunxerit, quæ si vero cessauerit & scripta optima & instructiones clarissimæ parum proderunt, nec vnquam ad exquisitam animæ scientiam peruenire ipsi licebit. Quare illum, animam suam cognoscere qui exoptat, strenue omni tempore animam obseruare oportet, vnde hæc non vero aliæ mutationes in anima producantur, qua ratione hicce vel ille affectus in anima aut excitetur aut sedetur aut profus tollatur. Hæc studio quouis tempore si quis obseruauerit animæ naturam ex his obseruationibus facile colligere poterit, atque qua ratione animæ perfectionem promouere possit. Inprimis si principiis fuerit instructus, ex quibus diiudicare valeat, qua ratione quamlibet animæ facultatem optime obseruare possit. Quod attinet corpus, itidem cum illo est comparatum; hæc si quis cognoscere exoptat, poterit acquirere distinctam corporis sui cognitionem, primo si obseruabit studio, in corpore quid deprehendatur, secundo si ex præceptis Anatomicorum structuram sui corporis cognoscere studebit. Hac ratione vero si quis sui affectus fuerit corporis notionem, facile & perspicere poterit, in quonam corporis sui perfectio quam intendere debet consistat.

§. IV.

Forſitan autem quisquam aſurgat contra noſtram datam legem naturæ, aſſerendo, illam minime eſſe vniuerſalem, ſiquidem ex illa non ſolum omnes actiones non peragantur, ſed & ex illa omnia officia diiudicare non poſſint. Sed huic reſpondemus, omnino noſtram legem naturæ vniuerſalem eſſe, atque



ex illa omnes & peragi actiones, & etiam diiudicari posse, quod utrumque facile rationibus sufficientibus probare poterimus. Primum quod attinet, nimirum ex nostra data lege naturæ omnes peragi actiones, hoc hac ratione demonstramus. Experientia docemur, nos semper inclinare versus id quod vti bonum agnoscimus, & averfari illud quod vti malum percipimus, atque his representationibus, nempe representatione bonitatis rei nos semper determinari ad actionem quandam peragendam, sicuti representatione malignitatis rei determinamur ad actionem quandam auerfandam & detestandam. Quare hisce representationibus obligamur ad actionem vel peragendam vel omittendam: obligare enim quendam nihil aliud est, quam principiis quibusdam quendam determinare ad actionem vel peragendam vel omittendam. Quum vero nos semper representationibus boni vel mali nos determinamus ad actionem vel peragendam vel omittendam, apparet nos hisce semper obligari ad quascunque actiones vel peragendas vel omittendas, atqui legem naturæ, dirige actiones tuas ad tuam aliorumque perfectionem, & omitte quas tibi aliisque nocere intelligis, legem esse vniuersalem, ex qua omnes nostræ peragi debeant actiones. Quod alterum vero attinet, nempe ex hac lege nostra naturæ quod omnia officia nostra diiudicari possint, & de hoc facile quemcunque convincere poterimus. Ex omnium philosophorum consensu omnia officia nostra ad tres classes commode referri possunt, nimirum ad primam referuntur officia quæ nobismetipsis debemus, ad secundam quæ aliis exhibere tenemur, & ad tertiam denique classem illa spectant officia quæ DEO ex lege naturæ præstanda. Hæc officia omnia & quæ DEO & quæ nobismetipsis & quæ aliis ex lege naturæ præstare obligamur ex nostra lege naturæ facili negotio demonstrare poterimus. Primo quod attinet officia quæ nobis debemus, illa omnino ex hæc nostra naturæ lege probari possunt, vti ex sequentibus, si ex hæc lege officia erga nosmetipsos deduxerimus clare apparebit. Quod vero & illa officia quæ ex lege naturæ aliis debemus ex nostra lege



lege naturæ demonstrari possint, hoc scientiarum iurisquæ naturæ gnarus nullus in dubium vocabit, Vti enim iam supra §. II. demonstrauimus consensu omnium philosophorum & veterum & recentiorum obligamur, actiones nostras ad aliorum salutem promouendam dirigere, quod nostra lex clare præcipit. Denique officia illa, quæ ex lege naturæ DEO exhibere obligamur, si respicimus, & illa quam optime ex nostra lege naturæ demonstrari poterunt. Officium hominis erga DEum, vti bene asserit B. Puffendorfius in libro de officio hominis & ciuis Cap. IV. quantum quidem ex naturali ratione inuestigari potest, duabus partibus absolvitur; tum vt de DEO recte sentiamus, tum vt actiones nostras ad ipsius voluntatem componamus, ad quod vtrumque nostra lex naturæ nos obligat, quod pluribus facile demonstrare possemus, nisi certo essemus persuasi, quemlibet per se, accurate nostram naturæ legem si perpendet, hoc diiudicare posse, atque huius nostræ dissertationis finis hoc nobis dissuaderet. Si placet conferat B. Lector egregium tractatum Magnifici Domini Wolffii vernünftige Gedancken von der Menschen Thun und Lassen, & quidem Partis tertiæ caput I. de officiis erga Deum, ibi enim celeberrimus hicce Dominus Auctor ex hac lege naturæ omnia officia erga DEum exquisite demonstrat. Patet itaque, ex lege naturæ, quam nos asseruimus, optime quæcunque officia demonstrari posse, atque illam omnino pro vniuersali esse habendam. Lex enim illa ex qua omnes peraguntur actiones, & ex qua omnia diiudicari possunt officia, illa omnino est vniuersalis. Quum itaque ex nostra lege omnes & peraguntur & diiudicantur actiones, patet illam omni iure vniuersalem legem naturæ esse appellandam.

§. V.

Ne vero aliquis nostram legem naturæ ac si minus esset adæquata accuset siquidem ex illa lege naturæ & mala sunt peragenda, monemus beneuolum Lectorem, omnino sæpius quid quod! quam plurimum euenire, vt nos malum vti bonum nobis representemus, atque hisce representationibus nos determinemus ad ma-



lum peragendum, sed exinde minime sequitur, naturam nos obligare etiam ad malum per petrandum, hoc inquam minime sequitur, nam quod nobis sæpius repræsentemus malum uti bonum, hoc non dependet a natura nostra, sed ab errore atque defectu intellectus hoc proficiscitur, uti docet Excellentissimus Dominus Wolfius l. c. p. 10. Quum vero ex lege nostra naturæ obligamur errorem intellectus emendare, uti in sequentibus demonstrabimus, adparet minime legem naturæ nostram obligare ad id quod ab errore intellectus dependet, potius ad illud auersandum nos obligat, uti ex sequentibus clare patebit. Hoc si perpendet B. Lector statim intelliget, hancce obiectionem contra nostram legem naturæ minime locum habere posse, quippe quæ solum in animis eorum, qui rem distincte diiudicare nesciunt, residua.

## §. VI.

Quum vero datur perfectio & animæ & corporis nostri, nec non status externi, nos autem ex lege naturæ, uti demonstrauimus obligamur nostram pro viribus promouere perfectionem, apparet, nos ex lege naturæ obligari, & animæ & corporis ut & status nostri externi perfectionem promouere, atque tria dari officiorum genera, quæ obseruare oportet illum, officii quæ sibi debet, satisfacere animum qui inducit. Ad primum genus referimus illa officia, quæ animæ suæ quislibet debet, ad secundum autem illa officia spectant, quæ corpori soluenda, ad tertium denique illa referuntur officia, quæ statui externo exhibenda, de quibus singulis nobis pluribus erit agendum, siquidem, uti promisimus, officia illa quæ sibi metipsum quislibet debet, exhibebimus.

SECTIO



SECTIO II.

Quæ explicabit officia illa quæ animæ nostræ ex lege naturæ debemus.

§. I.

**P**er se patere putamus, eiusmodi esse, qui exhibere officia illa, animæ quæ debemus, animum inducit, prius demonstrare, quid sit anima, ac quanam eius præcipuæ sint facultates; quare omnino nostrum erit, priusquam tradamus officia, quæ animæ debemus, exponere, quid sit anima nostræ & quanam sint eius præcipuæ facultates. Primum quod attinet, animam nostram dicimus substantiam representatiuam, quæ sibi representat possibilia pro diuerso situ corporis nostri organici. Hanc definitionem, quam de anima iam adduximus, veram esse, pluribus in nostra dissertatione de Anima eius affectibus atque cultura demonstrauimus, quare iam pluribus hoc asserere super sedemus. Quo tamen hæc nostræ definitio de anima aliquatenus pateat B. Lectori, monemus, nostram hanc definitionem, quam de anima dedimus, esse tantum verba-lem, siquidem præcipuum animæ attributum tantummodo indicat, quo anima a reliquis omnibus distinguitur entibus. Minime vero hæc animæ definitio est realis, etenim non demonstrat modum possibilitatis animæ, seu quomodo possibile sit, anima vè existere possit, quod realis definitio præstare omnino debet, illa enim exhibet modum possibilitatis rei seu genesis rei, quomodo res conficiatur atque perficiatur. Hoc vero de anima nostræ demonstrare non est in nostra potestate, si quidem illud huc vsque plane nobis in cognitum. Nullus mortalium enim gloriari poterit, se scire, quæ ratione anima conficiatur seu generetur, siquidem hoc est, quod Deus diuino suo intellectui hucusque reseruauit. Cum itaque

B 3

non



non in nostra potestate, exhibere realem quandam de anima definitionem, acquiescimus iure in definitione illa verbali, quam dedimus, quæ facile perducere nos poterit ad animæ nostræ exquisitam cognitionem, vnde animæ naturam facillime colligere poterimus, studio tantummodo obseruemus, qua ratione res sibi repræsentet anima, & quotuplici modo sese exlerat hæc vis repræsentatiua animæ, quæ animæ naturam constituit. Omnes enim reliquæ animæ operationes, quas obseruamus, resultant ex hacce animæ vi, quæ vnica tantummodo vis est animæ, siquidem anima ens quoddam simplex, vnde omnino vnica vis solum illi competere debet, quod si enim illi plures vires & quidem diuersæ competere, non esset ens simplex sed potius ens quoddam compositum. Est vero anima ens simplex, ergo illi vnica solum vis, vis inquam repræsentatiua competit, quæ vero vis diuersa est & diuersos producit effectus pro diuersitate obiectorum conf. Magnif. Dn. Wolfium in egr. Tractatu de DEO A, atque Mundo Cap. 5. in quo pluribus de hac veritate egit. Quamquam vero, vt demonstrauimus, vnica tantum est vis animæ, quæ diuersos producit effectus pro diuersitate obiectorum, tamen secundum nostrum concipiendum plures animæ facultates nobis concipere debemus, quo animæ operationes distincte nobis repræsentare possimus. Ita enim nobiscum comparatum esse, experientia nos docet quotidiana, vt multum in vno non simul distincte nobis repræsentare valeamus. Simulac enim in vno quodam subiecto multa nobis repræsentantur, illa non distincte sed plane confuse nobis repræsentamus, Quo itaque animæ operationes nobis distincte repræsentare possimus, quasdam animæ facultates nobis concipimus, intellectum inquam, voluntatem, imaginationem atque memoriam, etenim hæc sunt præcipuæ animæ operationes, quas obseruamus, quas & nos in specie considerabimus, atque quænam sint nostra officia erga intellectum, & voluntatem tradere allaborabimus,



§. II.

Intellectum si respicimus est ille animæ facultas, qua  
possibilia distincte sibi repræsentat anima. Sunt quidem quam  
plurimi Philosophi & huius & superiorum seculorum clarissimi,  
intellectum qui dicunt animæ facultatem qua possibilia sibi repræ-  
sentat, sed hac ratione intellectus a reliquis animæ facultatibus  
ab imaginatione nempe & memoria non bene distinguitur. Imagi-  
natio enim est ut illi inquit, repræsentatio rerum absentium,  
ideoque omnino & imaginatio est facultas animæ qua sibi repræ-  
sentat possibilia. Quod si itaque & intellectum dicamus ani-  
mæ facultatem qua possibilia sibi repræsentat, non bene distingue-  
tur intellectus ab imaginatione, quod vero optime euenit, si di-  
cimus, intellectum esse animæ facultatem qua possibilia distincte  
sibi repræsentat, sic enim declaramus discrimen illud, quod inter  
cedit inter intellectum atque imaginationem. Est itaque omni-  
no adæquata nostra distinctio de intellectu, atque sufficiens ad  
naturam intellectus demonstratam, siquidem intellectus natura  
in eo consistit, ut obiecta distincte sibi repræsentet,

§. III.

Cognita nobis atque perspecta natura intellectus, facillimum  
iam nobis erit, illa officia quæ ex lege naturæ intellectui debe-  
mus, demonstrare. Scimus atque compertum habemus, legem  
naturæ nos obligare ad nostram promouendam perfectionem, ergo  
omnino eadem illa lex nos obligat ad promouendam nostræ  
intellectus perfectionem. Perficitur autem intellectus noster, si  
quæcunque sibi repræsentare distincte addiscit. Ille enim ex o-  
mnium Philosophorum consensu perfectissimus appellatur intel-  
lectus, qui omnia distincte & adæquate sibi repræsentat. Opor-  
tet itaque quemlibet ex iure naturæ studere, intellectum suum eo  
ut perficiat, ut semper sibi obiecta circa quæ versatur repræsentet  
distincte. Hanc autem intellectus perfectionem acquirere qui ex-  
optat, primo cognoscere debet quænam sint repræsentationes di-  
stinctæ, nimirum illæ quod sint appellandæ distinctæ, quæ repræ-  
sentant



sentant illa attributa, quibus res ista ab omnibus aliis discernitur  
entibus. Quando enim cognitum habeo illud, quo res quaedam  
ab omnibus aliis distinguitur, distincte rem mihi represento, e. g.  
hominem illum distincte cognosco, de quo alteri referre poterō  
illa attributa, quibus hicc homo a reliquis hominibus, nec non  
omnibus distinguatur animatibus, vti & distincta est idea quam  
de edificio quodam mihi concipio, si omnia referre possum, qui-  
bus edificium illud a reliquis discernitur edificiis, quod si non po-  
terō distincta idea de illo edificio sum destitutus. De hoc si cer-  
tus est eiusmodi, omni studio illum allaborare oportet, vt sem-  
per, quando obiectum quoddam ipsi representat intellectus, o-  
peram nauet, quo illa sibi representet, in hocce obiecto quæ  
continentur, quibus hocce obiectum ab omnibus reliquis discer-  
natur entibus, quid vero illi cum reliquis commune? Hoc enim  
si agnouerit, distinctam de re illa acquisit ideam. Hac ratione  
si quis sibi quæcunque representabit, facile, tempore acquirat  
habitum; vt quæ ipsi obuenient, distincte sibi representet. Vti  
vero ad quemlibet acquirendum habitum crebrum requi-  
ritur exercitium, ita & ad hunc necessario requiritur.  
Eiusmodi autem exercitium intellectui suppeditat studium  
mathematicum, scripta enim mathematicorum nobis multas  
suppeditant demonstrationes distinctas atque adæquates, ideo-  
que ille huic studio operam qui nauat, optimum nanciscitur ex-  
ercitium mentis in distinctis representationibus, quibus si assue-  
factus, tempore non poterit non quæcunque ipsi obuenient  
distincte sibi representare. Non solum vero studium Mathema-  
ticum nobis suppeditat exercitium quo habitum mentis acquirere  
possimus, vt distinctis assuescat representationibus, sed & scientiæ  
philosophicæ multum ad huncce habitum acquirendum conferunt.  
Logica enim inquam nos docet, qua ratione distinctæ representa-  
tiones debeant esse comparatæ, & reliquæ disciplinæ philosophicæ  
nos quamplurimas suppetant distinctas ideas, quibus qui ex-  
optat mentem mirum excolere potest. Non male itaque operam  
suam



suam collocat ille, scientiis & philosophicis, & mathematicis ope-  
 ram qui nauat, si quidem hisce ad summum mentis acumen adspi-  
 rare potest. Illos vero quod attinet, studiis operam qui non dant,  
 & hi nihilominus ad quoddam intellectus acumen adspirare pote-  
 runt, in tenera adhuc aetate si addiderunt, qua ratione distinctas  
 debeant formare ideas, atque deinceps res illas, circa quas versantur  
 distincte sibi repraesentare studebunt. Hac ratione & licet iis, stu-  
 diis operam qui non nauant, ad acumen quoddam intellectus per-  
 uenire. Hoc declarare putamus, quantum intersit, scholis, quae  
 reipublicae seminaria iure appellantur, vt sint praefecti viri  
 acuminis intellectus pollentes, qui & tenerissimam iuuentutem do-  
 cere queant, qua ratione circa & vilissima versari debeant, de  
 illis vt acquirant distinctas notiones. Hoc omnibus in scholis a  
 viris sapientibus si perageretur, certe longe felicior esset futura  
 vita humana, ac omnes perficerentur mitum in modum. Si qui-  
 dem tam plurimi ex prauiudiciis quod pendeant, neque sciant scien-  
 tiarum penetrare penetralia, inde euenit, quod statim ab in eun-  
 te aetate animi iuuenum ad distinctas de omnibus sibi formandas  
 ideas non sint assuefacti. Recte enim omnino Aristoteles docuit,  
 primam aetatem hominum disciplinis addiscendis omnium com-  
 modissimam esse, & quotquot de formandis iuuenum animis pra-  
 ceperunt, sedulo illud inculcarunt, vt pueri statim ab vnguiculis  
 distinctis boni atque mali ideis laudabiliter instituantur vid. Io-  
 annem Sturmium de lit. Ludis recte aperiendis Cap. II. p. 189.  
 atque Gabrielem Naudeum in syntagmate de studio liberali Cap.  
 5. p. 595. vbi bene docuerunt viri hi, clarissimi, quod in ludicris  
 & frivolis tenera aetas minime consumi debeat, sed talia esse ad-  
 discenda, per quae ad grauiora & sanctiora rite praeparatur &  
 praemuniatur animus.

§. IV. *minis ab estly anno o omnia*  
 Hocce vero intellectus acumen minime applicare debe-  
 mus ad res frivolas atque inanes, sed rebus arduis sanctisque  
 illud consecrare nos oportet, atque primo T. O. M. cognitioni  
 strenuo



strenuo operam nauare debemus, de hacce veritate certo con-  
 uictus debet esse animus, vt quascunque prolatas obiectiones di-  
 stincte discutere sciat. Hac inquam scientia necessario imbutus  
 esse debet intellectus, vti omnibus illis veritatibus quae Christiano  
 scitu sunt necessariae, quasque benignissimum Numen in sacro bi-  
 blicorum libro nobis reuelauit. Circa haec praecipua cuiuslibet  
 iure versatur meditatio, qua ratione de hisce reuelatis veritati-  
 bus bene instruat in formeturque. Quibus si instructus animus,  
 tunc progreditur & ex libro naturae addiscere studet, & ex ipsi-  
 s operibus sumunt agnoscere Creatorem, quae cognitio & neces-  
 saria & utilis & iureunda omnino, quod pluribus vero demon-  
 strare nobis non licet, siquidem de hoc, si de finibus rerum quae-  
 dam commentabimur, ex professo agere animus nobis est. Consi-  
 derandam tantummodo in praesenti lectori relinquimus quanta  
 non exinde resultet utilitas, si distincta rerum naturalium considera-  
 tione conuictus animus de omnipotentia, omnipraesentia, bonitate  
 atque prouidentia sanctissimi Numinis. Haec vnica consideratio  
 satis quemcunque conuincere poterit, librum naturae cum libro  
 Scripturae bene coniungi. Nos progredimur & demonstrare alla-  
 boramus, quibus praeter iam adducta acumen intellectus conse-  
 crari debeat. Circa hoc inquam necessario acumen intellectus  
 quoque versatur, vt finem ad quem omnes dirigat vitae actiones  
 rite diiudicet, de quo praeclare differit Seneca, Ep. LXXI. Ideo  
 peccamus, inquit, quia de partibus vitae omnes deliberamus, de  
 tota vero nemo deliberat. Scire debet quid petat, ille qui sagittam  
 vult mittere; & tunc dirigere & moderari manu telum. Errant  
 consilia nostra, quia non habent quo dirigantur. Ignorantem  
 quem portum petat, nullus suus ventus est &c. Qui vero ex vo-  
 tis vltimum vitae finem determinare exoptat, illum perpendere o-  
 mnino oportet vires & animae & corporis, nec non respicere de-  
 bet circumstantias externas. Haec intellectus si recte diiudicare  
 nequit, nunquam finem actionum suarum vltimum bene determi-  
 nabit. Magna enim ingeniorum est varietas, vti nos quotidiana  
docet



docet experientia, & pluribus demonstrarunt viri clarissimi: Edmundus Richerius in obstetrice animorum. Dan. Georg Morhoff in Polyhist. lit. Edo Neuhufus in theat. ingen. humani. Ianus Huartus in Scrutinio ingeniorum, vnde manifestum est, non perinde esse, quam quisque artem excolendam suscipiat. Vtique ingenio nonnulli pollent, sed ingenio ad scientiam, quam discendam sibi sumunt apto plane destituuntur. Exploratione itaque atque scrutinio opus est, priusquam ad studium quoddam animum adiciamus, & prima quidem cura hæc est, an tales animæ atque corporis vires nobis obtigerint, quæ ad illam artem, quam eligendam nobis proponimus, requiruntur. Rectius profecto sibi consulunt, qui aliam artem addiscunt, quam illam, ad quam perficiendam vires aut animæ aut corporis desunt. Quum vero in tenera ætate illud intellectus acumen non datur, quod ad vires animæ & corporis diiudicandas requiritur, optandum esset, vt cum primis in publicis literarum domiciliis constituerentur, qui iuuenum ingenia accurate explorarent, illosque quem quisque eligere debeat campum, in quo ingenii sui vires periclitaretur, edocerent. Quod rei publicæ proficuum futurum agnouere Philosophi antiquissimi. Id enim constat præstantissimos philosophorum neminem temere in disciplinam suam, nisi explorata prius eius indole, admisisse. De Pythagora asserit Iamblichius in vita Pythagoræ, illum, vt illorum ingenia, qui animum addicere suis disciplinis voluerint, cognosceret, studio allaborasse. Videatur Gellius, qui prolixius hoc commemorauit. Aristoteles ad Philosophiæ remotioris subtiliorisque auscultationem neminem admisit, nisi eius antea ingenium atque in discendo studium laboremque prius explorarit, vt idem Gellius autor est. Taceo Apollonium, cuius Cic. libr. I. de oratore meminit, aliosque quibus eundem morem frequentatum fuisse constat. Hos inquam merito, qui artes ingenuas docent, imitari oportet, vt ista ingeniorum exploratione nihil prius aut antiquius habeant, quod parentes quoque, & qui eorum vicibus funguntur, sui officii esse facile intelligunt. Nec non ipsi iuuenes,



si sapiunt, aut se ipsos, quantum vires eorum permittant, explorant, aut ad peritorum iudicium sententiamque diligenter se componunt, nisi nimis sero de eo conqueri velint.

§. V.

Nonsolum vero intellectus acumen circa finem vite ultimam, ad quem omnes actiones tendunt, versari oportet, sed & omni cura allaborare debet, media distincte vt cognoscat, quibus finem, quem sibi proposuit, assequi possit. Haec enim non recte intellectus si diiudicat, parum proderit bene cognovisse finem, quem sibi constituat, ad quem omnes suas dirigat actiones. Illud vero intellectus acumen, quod fines particulares ultimo subordinare & media eos consequendi optima constituere valet, dicitur sapientia. Quare patet quemlibet ex lege naturae obligatum esse sapientiae studere, hac enim qui destitutus, neque suam neque aliorum promouere poterit perfectionem. Nonsolum vero sufficit cognitum atque perspectum habere, qua ratione actiones comparatae esse debeant, vt finem quem sibi proposuerunt, assequantur, sed & requiritur promptitudo conclusiones practicas generales easque singulares citra aberrationem applicandi, qua promptitudo cum prudentia appellatur, patet, quemcunque & prudentiae studere debere, alias enim sapientiae vsus erit nullus, nec vnquam actiones nostrae ad finem ultimam actu diriguntur.

§. VI.

Paragrapho antecedenti demonstrauius, quemcunque ex lege naturae obligatum esse & sapientiae & prudentiae studere, iam omnino nobis erit declarandum, qua ratione & sapientiam & prudentiam acquirere possimus. Sapientia vti scimus est intellectus facultas, qua cognoscere valet intellectus media illa, quae ad finem obtinendum perducunt. Hanc sapientiae ideam si considerabimus, cognitu nobis erit facillimum, qua ratione sapientiam quiuis acquirere possit. Requiritur nempe primo, eiusmodi vt acquisiuerit habitum mentis distinctas sibi de rebus quae occurrunt formandi ideas, hanc virtutem si acquisiuerit, non poterit non quam-



quamcunque actionem, quam perpetrare animum inducit, inquirere, an ad finem quem sibi proposuit ducat, an vero non. Quod ut agnoscat, distincte illum perpendere oportet, quamnam habeat connexionem hæc actio cum reliquis, quid inde in illum redundare possit vel boni vel mali. Ita circa quamcunque actionem si versabitur, atque nunquam quandam, nisi illam ita prius excusserit, perpetrabit, sapienter omnino aget, media enim illa quæ ad finem propositum ducunt, quam optime cognoscere poterit. Ex his patere putamus, quæ ratione, ille sapienter agere qui exoptat, actiones instituire debeat, nimirum illum, semper, quandam actum si perpetrare animum inducit, primo ideam distinctam sibi concipere debere de illa actione, ac perpendere quamnam ex illa proficisci possint bona, quæ vero mala, secundo ob oculos semper eiusmodi habere oportet finem, quem sibi constituit, atque inquirere, an illa actio ad finem obtinendum quid conferre possit, an vero ipsi aduersetur. Tertio respicere debet circumstantias externas, statum externum inquam, considerare illum oportet, atque inquirere, quidnam impedire possit, hac actione finem ut non assequatur, contra vero quidnam illi inferuire possit, finem ex voto hocce actu ut assequatur. Ita qui aget media felix agnoscere poterit, atque hac ratione illi sapienter agere licebit. Lubentissime quidem confitemur, tam multas sapienter adesse circumstantias, ut intellectus humanus non accurate illas diiudicare valeat, sed hisce casibus solatium nobis afferre debet divina providentia, in quam semper confidere nos oportet, nostris si satisfecimus officiis, quod & gentiles ipsi temporibus antiquissimis iam agnouerunt. Audiamus Iuvenalem Sat. X. v. 347. ubi præclare inquit:

Permittes ipsis expendere Numinibus, quid  
 Conveniat nobis, rebusque sit velle nostris  
 Nam pro iucundis aptissima quæque dabunt Diæ  
 Carior est illis homo quam sibi.  
 Denique prudentiam quod attinet, prudentia vti scimus  
 est



est intellectus facultas, qua valet media illa, quæ ad finem perductura cognouit, absque aberratione applicare. Hanc virtutem qui acquirere exoptat, studio agnoscere debet, quæ ratione alii hæc seu eiusmodi media sub iisdem circumstantiis bene applicarint. Hoc si cognouerit, nec non simul bene perpenderit, in quonam circumstantiæ externæ præsentēs differant ab illis, quæ tunc fuerunt, facile diiudicare poterit, quæ ratione & ipse agere debeat, vt media bene applicet. Conducit itaque eiusmodi mirum studium historicum, illud enim suppeditat exempla quam plurima eorum, qui sub iisdem fere circumstantiis eiusmodi media perfecerunt, quos imitari oportet. Quod si sapius & ipse expertus fuerit, habitum quandam facile acquirat, media proposita perficiendi. Hocce medium quoddam esse ad prudentiam aspirandi, quotidiana nos docet experientia, illos enim præ aliis prudenter agere agnoscimus, quibus sapius res peragere licuerit, vnde & illi non absque ratione prudentiores appellantur, experientia qui valent, atque iis præferuntur, qui minus in rebus peragendis sunt exercitati. Quæ vero conclusio, nempe illos esse prudentiores, qui magis in rebus peragendis exercitati, atque illis præferendos, eiusmodi exercitio qui destituti, minime est vniuersalis, quod quotidiana edocemur experientia, illa enim sapius nos erudit, illum prudentius agere, qui prima vice quid peragit, quam qui sapius illud peregit, nimirum si sapientia alterum superat, siquidem tunc & prudentia facili negotio illum superare poterit, etenim sapientia prudentiæ est principium, quæ qui destitutus, prudenter agere non poterit. Non sufficit vero a posteriori addidicisse prudentiam, sed & a priori prudentes vt euadamus nobis est allaborandum, a posteriori enim prudentiam si solum addiscimus, facile errorem committere possumus, quem vero euitare poterimus, si & a priori prudenter agere scimus. Qui vero a priori prudens euadere exoptat, illum oportet media quæ ad finem perductura agnoscit, distincte considerare, atque perpendere, quemnam nexum habeant cum rebus coexistentibus, quid



quid illis impedimento futurum, quid vero illa promouere possit. Hac ratione media qui perpendet, facile a priori addiscet, qua ratione media, quæ ad finem perducere intelligit, etiam perficere possit.

§. VII.  
 Cum prudentem oporteat, uti demonstrauius, distincte considerare media illa, quæ ad finem perducere possunt, atque perpendere, quid illis impedimento futurum, patet prudentis esse omni studio allaborare, aliorum mentem ut cognoscat, siquidem maxima impedimenta, quo minus actiones nostræ, quem intendunt metam attingant, nobis parantur a reliquis hominibus, quæ vero evitare poterimus, si illos, qui nos impedituros agnoscimus, cognitos habemus atque perspectos. Quod & Cicero olim iam bene iudicauit, ita enim inquit Lib. II. de Officiis cap. V. p. 201. Ed. maior. Græuii: Cum hic locus nihil habeat dubitationis, quod homines plurimum hominibus & profint & obsint, primum hoc statuo esse virtutis, conciliare animos hominum, & ad suos usus adiungere. Quæstio igitur omnino hic iure oritur, qua ratione aliorum mentem cognoscere possimus. Cognitum quidem atque perspectum nobis est, de hac quæstione magnam inter eruditos fuisse litem, & quam plurimos fuisse, hanc artem scriptis communicare qui studerint, inter quos referre nobis tantummodo liceat Huartum Claramontium, de P' Chambre, Theophrastum, Lud. Molineum, qui de hac arte in scriptis suis egerunt, de quibus vero quid sentiendum in præsentem nobis exponere non licebit. Quod plane non impossibile sit aliorum mentes agnoscere, hoc quam plurimi suo exemplo probarunt, inter multos liceat nobis politicos summos Mazarinum atque Richelieu referre, de his satis cognitum est, illos optime seuisse aliorum diiudicare mentem, quippe qui hæc virtute eo aspirarunt, ut quislibet eorum prudentiam non possit non admirari. Diuersa de hac virtute acquirenda iudicia nos non respicimus, breuibus tantummodo demonstrabimus, hæc cognitiõem a naturæ intellectus & voluntatis nec non affectuum



affectuum exquisita scientia pendere, quod facile intelligimus, si  
 perpendimus tantomodo, neminem mortalium aliquid peragere  
 posse, nisi illud prius vti bonum sibi repræsentarit. Ex hoc recte  
 omnino concludimus, si omnes homines nil peragunt, nisi vel  
 distincte vel confuse illud sibi repræsentarunt vti bonum, sequi-  
 tur, omnes homines id quod, peragunt, vti bonum iudicare. Quod  
 si vero homines id quod peragunt, vti bonum iudicant, patet, quod  
 nos ex actionibus hominum, quid illi pro bono habeant, agnoscere  
 possimus: Quod si itaque scire exoptamus principium illud, ex quo  
 bonitatem alii diiudicant, considerare nos oportet actiones ho-  
 minum, quas si distincte nobis repræsentamus, facile exinde di-  
 iudicare poterimus illud principium, ex quo eiusmodi agunt. Si  
 vero cognitum atque perspectum habemus, ex quo alii iudicant,  
 per consequens & agunt, (quidquid enim vti bonum quis agnoscit  
 versus illud & illum inclinare oportet, illudque peragere,  
 vti supra demonstravimus) & illos cognitos habemus, nec  
 non qua ratione ipsorum gratiam inire possimus, facile  
 perspicere poterimus. Patet itaque actiones hominum nobis cer-  
 tum quoddam suppeditare principium, ex quo illos diiudicare pos-  
 simus. Hoc vero principium non sufficere ad alios diiudicandos  
 lubentissime profitemur, siquidem quotidiana nos docet experien-  
 tia, quam plurimos mirum simulare didicisse, ad quod detegen-  
 dum vero non sufficient actiones, sed aliud quoddam adhuc re-  
 quiritur principium, ex quo diiudicare possimus, an actiones  
 quæ alii edunt, sint simulatæ, an vero ex illo principio, ex quo  
 iudicare consueverunt, proficiantur, quod nobis vero optime  
 declarare poterunt affectus. Affectibus enim si quis rapitur, non  
 distincte res eiusmodi sibi repræsentat, sed ex consueto principio a-  
 git, quod & quotidiana experientia & natura affectuum nobis cla-  
 re demonstrat. Quod si itaque quendam affectu quodam affici  
 agnosco, atque inquiri causam huius affectus, qua ratione hie-  
 ce affectus oriatur, ex hoc facile diiudicare poterò, quid ille, af-  
 fectu illo qui afficitur, vti bonum iudicet, quod si agnouero atque  
 simul



Simul inquisuero principium ex quo actiones quas hactenus per-  
 petrauit, peregit, & deprehendo illum ex alio principio peregisse,  
 affectu dum laborauit, quam ex quo actiones hactenus peregit,  
 facile intelligo, illum in actionibus simulasse, atque non verum prin-  
 cipium esse, ex quo lubenter agat, ex quo actiones peregerit. Hoc  
 vero si agnouero, eiusmodi omnino penitus habeo cognitum at-  
 que perspectum, ita vt de eo amplius dubitare non debeam. Si-  
 quidem tunc alteri accurate exponere potero, qua ratione hicce  
 actiones sub his vel illis circumstantiis sit acturus, si naturam affe-  
 ctuum nec non actionum humanarum cognitam habeo atque  
 perspectam. Pluribus hoc & illustrare & demonstrare possemus,  
 si spatium huic dissertationi destinatum permitteret, nec non cer-  
 to essemus persuasi, illis quibus natura actionum nec non affectu-  
 um est perspecta, & satis esse cognitum, vere a nobis affirmari actio-  
 nes atque affectus hominum esse principia certa quibus, cognitio  
 aliorum nitatur. Hoc enim agnouerunt iam philosophi antiquis-  
 simi, Pythagoras inquam atque Socrates, de Pythagora enim no-  
 bis refert Iamblichus in vita Pythagoræ, illum quendam explo-  
 rare si voluerit, respexisse ad ipsius actiones nec non affectus. In-  
 quirebat enim Pythagoras, quomodo is, qui suam ambiret discipli-  
 nam, cum parentibus suis reliquisque domesticis conuersari consu-  
 uerit, nec non explorabat, quibus rebus afficiatur maxime quo-  
 rumque amicitia vtatur, qualem se ipsis præstaret, obseruabat quo-  
 que studio, quibus ex rebus lætitiā caperet aut tristitiā. Deni-  
 que & oris speciem & incessum totumque corporis habitum atque  
 motum accurate obseruauit. Etenim animi latentiumque affectu-  
 um luculentissima signa ac characteres & in corpore & vultu depre-  
 hendimus, vt, vt cæteros taceam qui in eadem campo sunt vet-  
 sati, Scipio Claramontius de coniectandis moribus libr. 6. Cap. 2.  
 seq. atque Edo Neuhusius in theatro ingenii humani libr. 1. Cap. 3.  
 & 4. Carolus Scribanus libr. 1. institutionis politico Christianæ  
 Cap. 5. demonstrarunt. Quare, & hac via ad ingenium alterius  
 per noscendum deduci poterimus. Iosephum gustum Scaligerum  
 hac arte vel ex solo conspectu hominis ingenium æstimandi ita  
 D  
 polluisse



polluisse accepimus, vt si quis eius consilio studiorum genus eligeret hocce fecisse propitia fauenteque natura & successu intelligeret. Si DEus vitam dederit, pluribus demonstrare conabimur, principia illa a nobis adducta, actiones atque affectus sufficere ad alterius mores coniectandos, quo simul & trademus, qua ratione ex vultus lineamentis deduci possit principium alios diiudicandi, ac quid de illis sentiendum, nec non quid temperamenta valeant ad hominis diiudicandos mores. Si placet B. Lector conferat Magnifici Domini Wolffii vernünftige Gedanken von der Menschlichen Thun und Lassen. Vt & Excellentissimi Domini Professoris Heineccii exquisitam dissertationem de incessu animi indice. Hæc egregia scripta Lectorem de iis quæ adduximus pluribus conuincere poterunt.

S. VIII. Nos progredimur & cognitis illis officiis quæ intellectui debemus, cognoscere studemus quæ voluntati exhibere tenemur. Voluntatem dicimus illam animi facultatem, qua inclinatur versus id quod vti bonum agnoui intellectus & auersatur illud quod vti malum sibi concepit. Hanc voluntatis definitionem quam dedimus si perpendimus, facile agnoscimus, in quonam voluntatis perfectio consistat, nimirum in hoc quod semper versus verum bonum inclinet, atque verum malum auersatur. Illa enim ex omnium philosophorum consensu perfectissima dicitur voluntas, quæ verum bonum semper appetit ac verum malum semper auersatur. Neque non ex ipsa hac voluntatis definitione patere putamus, quæ ratione agere debeamus, voluntatem eo perficere si exoptamus, vt semper versus verum bonum inclinet, ac verum malum auersatur, nimirum nos oportere prius perficere intellectum, vt semper verum bonum vti bonum tantum sibi representet, non vero quodque bonum apparens pro vero iudicet. Ab hinc enim dependet voluntatis prauitas, vt sapius versus malum inclinet, quia & apparens bonum, quod reuera malum, vti bonum sibi representat intellectus e. g. fur vti bonas sibi representat furto acquirendas diuitias, & exinde versus furtum committendum inclinat, siquidem vti malas sibi si representaret furto acquirendas diuitias nunquam versus



versus furtum inclinaret, vti declarant exempla eorum, qui vti malas sibi concipiunt furto acquirendas diuitias, illi enim nunquam versus furtum inclinant, potius illud omni tempore auerfantur. Ille itaque voluntatem qui perficere exoptat, vt versus bonum verum inclinet, ac malum verum auerfetur, sibi formare distinctas debet ideas de eo quod bonum atque malum. Has vero acquireret, semper res sibi representatas si considerabit respectu habito ad statum & presentem & futurum, neque non respectum semper si habebit ad se alios atque Deum. Hoc respectu quamcunque actionem si considerabit, facile cognoscere poterit quæ bona, quæ vero mala. Ideo nos oportet, si vti bonam rem diiudicare volumus, perpendere illam, respectu habito ad nos, alios atque Deum, neque non distincte inquirere debemus, an statum non solum presentem sed & futurum perficiat. Ita nunquam errabimus in iudicio de bonitate & malignitate rei. Nam quod tam multi vti bonam rem iudicant, quæ tamen non bona, sed potius mala, hoc exinde euenit, quia solum statum presentem respiciunt, non vero simul statum futurum perpendent. e.g. fur vti bonas sibi representat diuitias furto acquirendas, quia solum statum presentem respicit, non vero quoque statum futurum, neque simul respectum habet ad alios atque Deum, hæc omnia bene enim si perpenderet, nunquam vti bonas sibi representaret furto acquirendas diuitias sed semper vti malas illas detestaretur. Ex his facile quemcunque colligere posse putamus, causam voluntatis corruptæ exinde dependere, quia notionibus boni & mali distinctis est destitutus intellectus, & quia, qua ratione malum & bonum diiudicare debeat, ignorat. Hinc euenit vt plurimi iudicent; quidquid sensus bene afficit illud est bonum, alii quidquid honores parat optimum censendum, alii deniq; existimant omnibus præferendum quid ad diuitias acquirendas ministrat. Hæc inquam praua iudicia inde oriuntur, quia eiusmodi distinctis notionibus boni atque mali sunt destituti. His enim instructi si essent, eiusmodi praua iudicia de bono nunquam sibi formarent, per consequens & voluntas illa non appeteret, quod enim voluntas eiusmodi appetit



euenit, quia intellectus illa uti bona iudicat. Hæc satis declarare putamus illum, voluntatem perficere qui exoptat, prius, intellectum ut perficiat, allaborare debere, atque voluntatis culturam ab emendato intellectu dependere, quod pluribus demonstrare possemus, nisi ex iam adductis illud clare patere certo essemus persuasi.

§. IX. Contra vero nostram datam voluntatis culturam forsitam assurgent, qui asserant, nostram demonstrationem de voluntatis cultura minime esse adæquatam; siquidem quotidiana experientia prorsus contrarium nos doceat, quotidie enim nos experiri, dari & doctissimos viros, qui tamen minime virtuosi appellandi, vnde satis clare pateat, nostram de voluntatis cultura meditationem plane esse mancam atque imperfectam. Sed his respondemus, primo intuitu omnino ita videri, ac si nostræ assertioni quotidiana aduerfetur experientia, sed rem ipsam distincte si perpendimus, statim intelligimus, hanc obiectionem parum contra nos valere. Nam omnino illa conclusio valde manca est atque imperfecta, dantur plurimi docti qui non virtuosi, ergo voluntatis cultura ab intellectu emendato non dependet. Hæc conclusio inquam minime recte est composita, quis enim asseret, omnes, qui docti vocantur, distinctis gaudere ideis, atque quodam acumine intellectus, contrarium potius experientia approbat. Quam plurimos enim doctos deprehendimus, qui quidem quam plurima perlegerunt volumina, atque multa recensere valent, sed nihilominus acumine quodam intellectus sunt destituti. Male itaque omnino concluditur, quam plurimi dantur docti qui non virtuosi, ergo voluntatis cultura ab intellectus emendatione non dependet. Quo tamen veritas nostræ assertionis eo lucidior omnibus appareat, addimus, non sufficere ad voluntatem perficiendam intellectum esse emendatum atque acumine quodam insigni pollere, nisi intellectus acumen consecratur notionibus mali & boni; his intellectus acumen si non consecratur parum prodest ad culturam voluntatis acumen intellectus e. g. Mathematicus si & mirandum prorsus acumen intellectus acquisiuit, exinde non virtuosus euadit, si illud acumen non applicat ad bonum & malum diiudicandum. Hoc inquam



inquam omnino requiritur, si voluntas emendari debet, ut quis acumen intellectus quod acquisivit ad bonum malumque recte diiudicandum applicet. Hoc si evenit, ut eiusmodi acumen intellectus qui acquisivit, & illud consecret cognitioni mali atque boni, omnino ille virtuosus evadet i. e. perfecta erit ipsius voluntas, ut bonum semper appetat malumque aversetur. Quum itaque, uti demonstravimus, voluntas perficitur intellectus acumine quodam si gaudet i. e. si imbutus distinctis ideis, atque acumen illud ad malum a bono diiudicandum applicat; nos vero ex lege naturæ obligati nostram perficere voluntatem, patet & nos exinde obligatos esse, nostrum perficere intellectum, illumque si bene excultus semper consecrare cognitioni mali atque boni.

§. X. Lubentissime confitemur, plurima dari impedimenta, quæ intellectum impediunt, ut ex illo voluntatis perfectio non obtineatur, sensus nempe affectus atque imaginationem esse, intellectum qui prohibeant, ut ad malum a bono discernendum sese non applicet, quamvis acumine sufficienti valeat ad bonum malumque recte diiudicandum. Iure itaque allaboramus cognoscere, qua ratione evenire possit, ut sensus, imaginatio atque affectus a via virtutis nos deflectant, nec non qua ratione hæc impedimentis mederî possimus.

§. XI. Primo respicimus sensus, hi inquam sunt sapius, intellectum qui impediunt, ut non distincte bonum sibi representet, atque a malo discernat, quod quotidiana experientia approbat. Illa enim nos docet, nos sapius sensibus impediri, quo minus intellectus distincte bonum diiudicare possit, atque exinde voluntatem secti versus mala, quæ intellectus sensibus seductus uti bona sibi representavit e. gr. Voluptuosum respiciamus, hic convictus esse poterit, malum esse voluptati studere atque hoc si perpendet, voluptates averfabitur, nihilominus tamen eiusmodi si representabuntur sensibus obiecta quæ voluptatis affectum excitant, ad voluptatem inclinabit. Hoc inquam quotidiana nos docet experientia, unde vero eveniat, & hoc facile demonstrare poterimus. Scimus atque compertum habemus representationes rerum præsen-



tium magis nos afficere quam perceptiones rerum absentium. Vnde & perceptio iucunditatis ex voluptate percipienda, cum representatio est rerum presentium, nimirum si a sensibus nobis obiecta quæ voluptatem excitant representantur, omnino magis afficit voluptuosum, quam representatio malignitatis huius actus, siquidem hæc representatio est absentis optimi consilii quondam cepti perceptio, ideoque omnino præualeat atque voluptuosum ad voluptati inseruiendum rapit. Hac ratione euenit, vt quis, quamuis bene instructus cognitione boni, nihilominus tamen, occasio illi si datur malum perpetrandi, versus illud inclinaret atque malum perpetret, quod ille qui animæ suæ statum explorare aptus, quotidie experiri poterit. Quomodo vero hisce sensibus resistere possimus, vt nos non impediant in virtutis studio & hoc facile exhibere poterimus. Nimirum eiusmodi qui agnouit sensus se impedire in virtutis studio, omni cura euitare debet occasionem qualesensibus a via virtutis deflecti possit. Hoc inquam bene obseruare debet ille, qui animum induxit virtuti studere, vsque dum illam perfectionem acquiserit, vt & obiectis presentibus quæ ipsum a via virtutis auocare possint, nihilominus in via virtutis incedere strenue pergat. Hac ratione perdomandos sensus esse, vt nos virtuti studere impedire non possint hoc iam agnouerunt. Philosophi antiquissimi, hanc enim ob rationem Plato, Aristoteles atque Pythagoras & reliqui, illis, ad eorum disciplinas qui accederent, interdixerunt praua consortia atque illa obiecta quorum presentia a via virtutis illos deflectere possit.

§. XII. Imaginationem vero quod attinet, illam quoque nos sapius impedire quo minus virtuti studeamus, quotidiana docet experientia. Illos respiciamus quorum imaginatio referta multis perceptionibus iucunditatis quæ ex malum peragendo proficiscitur, hos si instruimus notionibus boni atque mali, & quamquam illos conuicerimus de bonitate veri boni atque malignitate veri mali, nihilominus tamen imaginatio illis si representabit iucunditatem quam malæ actiones ad tempus parant, hac representatione ad mala iterum peragenda seducentur. De hoc quotidiana



diana experientia quemcunque conuincet, qui animi statum explorare aptus. Qua ratione vero huic imaginationis defectui consulamus & hoc facile cognoscere poterimus. Nimirum imaginationi consulamus, si confusas illas ideas quas de iucunditate mali nobis concepitimus, in distinctas ideas de vero bono ac vero malo mutauerimus, quod eueniet, si distincte nos rationibus conuincemus, illud quod uti bonum hactenus in imaginatione nobis representauimus, reuera esse malum, atque salutem nostram aduersari. Hoc si effecerimus facile resistere poterimus imaginationi, ut in virtutis studio nos amplius impedire nequeat.

§. XIII. Affectus denique quod attinet, illos quoque nos saepius a virtutis via deflectere quotidiana edocemur experientia, quod pluribus recensere supervacaneum iure iudicamus, quam quislibet fere quotidie de hoc prohi dolor! conuincatur. His vero ut in virtutis studio nos non impediant resistere poterimus, affectuum naturam bene si addiscemus. Hanc enim perspectam atque cognitam si habebimus, nec non certi si erimus, qua ratione hic vel ille affectus oriatur, qui nos a virtutis studio avocare possit, facile euitare poterimus, ut nos in virtutis studio impedire nequeant. Euitare tantummodo debemus occasiones quibus affectus illi excitantur, qui nos impedire possint, virtuti ut studeamus, nec non certis ac euidentibus rationibus nos munire debemus, quae nos de malignitate huius affectus conuincere poterunt, atque hasce combinare cum rebus nobis semper praesentibus, quaeque nobis semel ceptum optimum consilium in memoriae reuocare possint. Quod si hac ratione ad tempus studio contra affectus nos munierimus, vsque dum ad hanc perfectionem pervenerimus, ut quavis occasione, muniti distinctis de bono atque malo notionibus, resistere valeamus affectibus, efficere poterimus, ut affectibus a virtutis via non deflectamur. Pluribus & cuiusvis affectus naturam atque originem facile demonstrare possemus atque simul exponere, qua ratione contra quemcunque affectum distinctis notionibus boni atque mali nos munire possimus, ut in virtutis studio nos non impediat, sed potius nobis inferuire possit ad virtutem strenue sectandam, nisi huius dissertationis lian-



tes excederet, atque animus nobis esset peculiari quodam tractatu de hisce agere. Si placet B. lector conferat egregium tractatum Magnifici Dn. Wolffii vernünftige Gedancken von Gott, der Welt und der Seele des Menschen, wie auch seine vernünftige Gedancken von der Menschen Thun und Lassen, qui sufficere poterunt lectori ad illa, quæ adduximus, diiudicanda.

§. XIV. Hæc sunt impedimenta quæ a virtutis studio nos avocare solent, his itaque resistere si didicerimus, felices in via virtutis progredi licebit nobis. Quid requiratur autem ad imperium supra affectus sensus atque imaginationem obtinendum, facile quibus horum impedimentorum in via virtutis quemlibet convincere poterit, quam misera mortalium sit conditio lapsu protoplastorum redacta, ut & ipsæ nostræ facultates nos in bonum peragendo mirum impediunt, quæ in protoplastis erant perfectissimæ. Hæc clare nobis demonstrare putamus, vane a sacra scriptura affirmari, carnem esse, hominem quæ ad quævis flagitia rapiat, & qua ratione caro hæc efficere possit. Quis tam male sibi consulere, ut hisce meditationibus non adduceretur, ut agnoscat suam miseriam & quicquid perdidit, atque restauratorem nostræ salutis supplex rogaret, miseriam suam ut ipse consulat, quod omnino optimum atque efficacissimum est medium ad veram adspirandi virtutem. Quum vero gratia non auferat naturam, sed illi ubi deficit succurat, omnino tenemur pro viribus illam perficere, quod hac ratione vti demonstravimus optime fieri poterit.

§. XV. Hæc sunt, B. Lector, quæ in præsentî de officiis hominis erga animam tradere nobis licuit, supersunt quidem quam plurima omnino circa animam monenda, quæ vero si adduceremus, non dissertationem, sed integrum tractatum conscriberemus. Quod de officiis hominis erga corpus suum statumque externum promissimus, iam præstare prohibemur, dum spatium huic dissertationi destinatum iam consumptum, siquidem quam plurima hic omnino observanda, de quibus vero si Deus vitam occasionemque dederit, quam primum pluribus sumus acturi.

F I N I S.



NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO

CHRISTIANO ERNESTO SIMONETTY

S. P. D.

PRAESES.

**P**RAE multis faustum fortunatumque illum prae-  
dicandum, cui praeter splendidam familiam, &  
ingenii bonitas singularis, & rerum scientia pre-  
clara a Deo Ter Optimo Maximo contigit, ex meo iu-  
dicio nullus infitias ire poterit, siquidem haec sunt qui-  
bus Bono cum DEO ad quaevis summa progredi licet.  
E Quare



Quare illis, quos his ornatos conspiciamus, ex animo iure gratulamur. Quum itaque & TV, Nobilissime atque Doctissime Domine, inter illos referendus, quibus hæc felicitas a Benignissimo Numine collata, & Tibi omnino de ea ex animo gratulor. Tu enim, Amice estimatissime, præter spectatam Familiam & singularibus animæ dotibus præ multis es conspicuus, ne dicam de exquisita TVA rerum optimarum scientia, qua plurimos superas, cuius & hodie exhibes testimonium certissimum, dum publico Eruditorum examini hancce submittere dissertationem non dubitas. Gratulor itaque iure TIBI de hisce felicitatibus, quibus Benignissimum Numen clementer TE beavit, atque auide opto, velit Clementissimum Numen & in posterum gravissimo suo auxilio TIBI præsto esse, quo finem quem TIBI proposuisti ex votis assequaris, atque spectabili TVAE Familia in ornamentum perpetuum, Patriæ vero in emolumentum egregium diu floreas atque vigeas. Hoc TIBI apprecor, atque TVO favori nunquam non ut me habeas commendatissimum TE rogo atque oro.  
Vale



**E** lehrt uns Deine Schrift die Pflichten und Schuldig-  
keiten,  
Die selbst des Schöpfers Hand den Menschen ein-  
gedrückt,  
Ich muß deswegen Dich mit meinem Wunsch begleiten,  
Gott cröne diesen Fleiß, die Arbeit sey beglückt.

H. J. Delschlager.

**E**in Nahme Wehrter Freund, wird gleich der Eeder  
grünen,  
Warum? Weil Du hier suchst der Wahrheit beyzustehn,  
Und weil Dein Herze wünsche, der Weisheit stets zu dienen,  
So glaube: daß Dein Ruhm, wird niemahls untergehn.

Mit diesen Zeilen wolte dem Herrn Re-  
spondenten sein geneigtes Gemüth  
offenbahren/ dessen ergebenster Freund

V. Scheelen, Opponentis.

**E**r Höchste seegne Dich, Er seegne stets Dein Thun,  
Er seegne dieses Werck, das Du wirst seht vollführen,  
So wirst Du allezeit in lauter Seggen ruhn,  
Und reiffen Früchten gleich, die Edle Wurzel zieren.

Dieses wenige setzet dem Herrn Respon-  
dentem/ als seinen Wehrten Freun-  
de ein ergebenster Diener

Io. Theodorus Hippus,

Halentis, SS. Theol. Cult.

**W**er nur nach Weisheit ringt, dem muß die Crone bleiben,  
Dem wird sein saurer Schweiß belohnt mit Ehr und  
Ruhm,

Dem wird die Pallas selbst im Sonnen-Circul schreiben  
Dem bleibt der Weisheit Gold zur Beut und Eigenthum.  
Die



Diß hat Er, Wehrtester, für andern wohl erweget  
Da Er zum Compass wehlt das γωδὶ σκαυτῶν,  
Dadurch Er Seinen Fleiß der Welt für Augen leget,  
Und also höchst erwünscht ersteigt denn Helicon.  
Denn der sich erst erkennt, kan andre leicht gewinnen,  
Und gehen ganz beherzt zum Ehren Tempel ein.  
Der Himmel stärke Ihm mit Weißheits vollen Sinnea  
Er geb' in allem Thun geneigtes Fiat drein.

C. Christian Leyfsner,  
Magdeb. Jur. Cult.

**E**s fodert meine Pflicht, da Du von Pflichten sprichst,  
Getreuer Freundschaft Frucht mit Wünschen zu er-  
zeigen,

Weil Du mit grossen Ruhm die Sieges-Palmen brichst;  
Doch selbst die Sache redt, drum will ich lieber schweigen.  
Dieses schrieb ein verbundener Diener

F. P. Hoppius, Burgensis,  
Jurium Cultor. Opponens.

**S**chwehrtester Herzgens Freund  
die Tugend so Dich zieret,  
Legt Dir an diesen Tag ein herrlich Denckmahl bey,  
Und dieses muß so seyn, denn wen die Pallas führet,  
Da weist sichs in der That daß Er recht glücklich sey.  
Diß Merckmahl zeigt sich heut bey Deinem disputiren,  
Wobey der Pallas Hand Dir selbst den Lober reichet,  
Diß ist der Lohn wenn Müß und Fleiß sich embrassiren  
Dahero auch Dein Ruhm vor keinen Woder weicht.  
Hierzu nun heisset mich die Pflicht Dir gratuliren,  
Mein Freund nimm dieses hin es kömmt von treuer Hand,  
Des der von Deinem Glück auch wird participiren,  
Er heist wie unten steht, sein Herz ist Dir bekannt.


Mit diesem wenigen will dem Herrn Respon-  
denten ganz gehorsamt gratuliren/ Des-  
sen ergebenster Freund und Diener

Martin Bonesse,  
Berol. March, LL. G.












ULB Halle  
005 611 202

3









1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

3

P 458

M.

CRISTIANO

1921

*Q. D. B. V.*  
EXERCITATIO ACADEMICA  
DE

1720

29

13

# OFFICIIS HOMINIS ERGA SEMETIPSUM

QVAM  
*INCLITI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
CONSENSV*

PRO LOCO ADIVNCTI OBTINENDO  
*ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT*

PRAESES

CHRISTIANVS GEORGIVS  
SCHÜSLERVS,

HALBERSTADIENSIS

D. XVIII. SEPTEMBRIS MDCCCXX.

RESPONDENTE

CRISTIANO ERNESTO SIMONETTY,  
BEROLINENSI MARCHICO  
PHILOSOPHIAE AC LL. CVLTORE.

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
TYPIS IOANNIS GRVNERI, ACAD. TYPOGR.

